



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SANCTISSIMI SALVATORIS**

MARIANOPOLITANAE*EXARCHATUS APOSTOLICUS PRO FIDELIBUS GRAECIS MELKITIS

CATHOLICIS IN CANADA COMMORANTIBUS AD GRADUM ET DIGNITATEM

EPARCHIAE SEDI APOSTOLICAE IMMEDIATE UBIECTAE PROVEHITUR,

TITULO SANCTISSIMI SALVATORIS MARIANOPOLITANAE APPELLANDAE Beati Petri

Successores nullum relinquere solemus intentatum consilium quo populi Dei portionibus ad plenioram maturitatem prosperitatemque contendentibus valide subveniatur ac provide consulatur.

Cum ergo Exarchatus Apostolicus pro fidelibus Graecis Melkitis catholicis in Canada

commorantibus haud parva susceperit incrementa iamque in condicionibus versetur ut ad

eparchiae gradum extollatur, duximus diutius non esse differendam eiusdem Exarchatus

elevationem in eparchiam. Quam ob rem, suffragante Pro-Nuntio Apostolico una cum Conferentia

Episcopali eiusdem Nationis, annuentes precibus Patriarchae Graecorum Melkitarum

Catholicorum atque audita sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum negotiis sacrae

Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus praepositorum, Nos, suprema Nostra usi potestate,

Exarchatum Apostolicum pro fidelibus Graecis Melkitis catholicis in Canada commorantibus ad

gradum dignitatemque eparchiae Sedi Apostolicae immediate subiectae provehimus, titulo

Sanctissimi Salvatoris Marianopolitanae appellandae, additis iuribus obligationibusque novae

iuridicae conditioni adnexis. Ad alia quod attinet : nempe eparchiae administrationem, cleri et

populi singula iura atque onera sicque porro, ius Orientale perquam diligenter observetur, eis

praesertim consideratis quae edicuntur Litteris Apostolicis « Cleri sanctitati » die secundo mensis

Iunii anno MCMLVII datis et quidem canonibus a 392 ad 526. Contrariis minime

obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Septembris, anno Domini millesimo

nongentesimo octogesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI	LADISLAUS Card. RUBIN
<i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	<i>S. Congr. pro Eccl. Orient. Praef.</i>

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Hyginus Quadraroli, *Protonot. Apost. s. n.*

*A.A.S., vol. LXXVII (1985), n. 2, pp. 105-106

© Copyright 1984- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana